

- Mens erit apta capi tum, cum laetissima rerum
 360 Ut seges in pingui luxuriabit humo;
 Pectora dum gaudent nec sunt adstricta dolore,
 Ipsa patent: blanda tum subit arte Venus;
 Tum, cum tristis erat, defensast Ilios armis:
 Militibus gravidum laeta recepit equum.
 365 Tum quoque temptandast, cum paelice laesa dolebit:
 Tum facies opera, ne sit inulta, tua.
 Hanc matutinos pectens ancilla capillos
 Incitet et velo remigis addat opem
 Et secum tenui suspirans murmure dicat:
 370 'At, puto, non poteras ipsa referre vicem.'
 Tum de te narret, tum persuadentia verba
 Addat et insano iuret amore mori.
 Sed propera, ne vela cadant auraeque residant:
 Ut fragilis glacies, interit ira mora.
 375 Quaeris, an hanc ipsam prosit violare ministram?
 Talibus admissis alea grandis inest.
 Haec a concubitu fit sedula, tardior illa;
 Haec dominae munus te parat, illa sibi.
 Casus in eventust: licet hic indulgeat ausis,
 380 Consilium tamen est abstinuisse meum.
 Non ego per praeceps et acuta cacumina vadam,
 Nec iuvenum quisquam me duce captus erit.
 Si tamen illa tibi, dum dat recipitque tabellas,
 Corpore, non tantum sedulitate placet,
 385 Fac domina potiare prius, comes illa sequatur!
 Non tibi ab ancillast incipienda Venus.
 Hoc unum moneo, siquid modo creditur arti,
 Nec mea dicta rapax per mare ventus agit:
 Aut non temptaris aut perfice! tollitur index,
 390 Cum semel in partem criminis ipsa venit;
 Non avis utiliter viscatis effugit alis,
 Non bene de laxis cassibus exit aper.
 Saucius arrepto piscis teneatur ab hamo:
 Perprime temptatam nec nisi victor abi!
 * [Tunc neque te prodet communi noxia culpa,

OVID. I. [1563]

13